Kruhl - De via et ratione qua Aristoteles usus est-
1833

Breslau, Prussia

Zu der

am hiesigen Königlichen katholischen Gymnasium

den

15ten und 16ten August

zu haltenden

öffentlichen Prüfung

und der

auf den 17ten Vormittags

bestimmten

feierlichen Entlassung der Abiturienten nebst Vertheilung der Preise und Versetzung der Schüler

ladet

alle Gönner und Freunde der Anstalt ergebenst ein

der Director

Dr. P. J. Elvenich,

öffentl. ordentl. Professor der Philosophie an der Universität

Breslau 1833.

Gedruckt bei Grass, Barth und Comp.

1871, April 20.
Gift of
Prof. E. W. Gurney,
of Cambridge.
(H. U. 1852.)

DE VIA ET RATIONE

QUA

ARISTOTELES

IN SUMMI BONI NOTIONE INVENIENDA ET DESCRIBENDA USUS EST.

SCRIPSIT

Dr. HENRICUS KRUHL

GYMNASII REGII CATHOLICI VRATISLAVIENSIS COLLEGA.

CORRIGENDA.

p. 1. v. 5. leg. Stagiritam. — v. 10. leg. divisi. — p. 4. v. 10. leg. caussa. — p. 5. v. 7. leg. tanquam et sic ubique. — p. 9. v. 1. ad verbum „incidat" adde not.: Ethic. Nicom. I. 11. p. 1101. v. 6 — 8. quo tamen in loco non Bekkeri, sed Zellii Micheletiique, punctum post *εὐδαίμων* ponentium, interpungendi rationem secutus sum, ne locus plane repugnet loco p. 1100. v. 9. et v. 27 — 30. — p. 19. v. 25. leg. VI. — p. 26. leg. 1139. — p. 28. v. 25. leg. ὄρεξις. v. 26. leg. *νόησιν*. — p. 32. v. 8 — 10. adde not.: cf. T. Livius XL. 36. in verbis: „negare non possse, quin rectius sit." — p. 34. v. 20. leg. „ut" pro „quin."

INTRODUCTIO.

De via et ratione, qua Aristoteles in summi boni notione invenienda usus est, inquirere, in animum induxi. Haec enim est philosophiae natura, ut ejus tractandae genus ad vera perscrutanda cum apud omnes, tum apud Stagyritam plurimum valeat; nec dubium est, quin, hoc cognito, de summis ejus placitis facillime fiat judicium. Conamen igitur meum nec ineptum nec a nostrae aetatis studiis alienum esse, demonstrare supersedeo. Num tamen aliquid memoratu dignum hoc in opusculo protulerim, alii, harum rerum judices, videant! Quos, ut aequos et benevolos habeam, libellum perspicuitatis caussa in capita et paragraphos dividi, praeterea ipsum Aristotelem in primo capite de doctrina sua disputantem feci, ne desit ejus sententiarum brevis descriptio. In ipsis sententiis describendis Ethic. Nicom. libros potissimum secutus sum, propterea, quod de horum authentia inter omnes constat. Sed ipsum Aristotelem audiamus.

CAPUT I.

§. 1. Omnis ars, omnisque actio et doctrina finem aliquem spectat, quem bonum esse omnes concedunt. Videntur autem fines ipsi inter se discrepare. Alii enim sunt actiones (ἐνέργειαι), alii acta (ἔργα, τέλη) et haecce illis sunt meliora. [1])

§. 2. Deinde fines sibi invicem subjecti sunt, eodem modo, quo artes et disciplinae. [2]) Summae disciplinae summus finis summum quoque bonum esse dicitur. Inter omnes ars reipublicae regendae primum locum tenet. Ejus finis beatitudo censetur. Esse igitur beatitudinem supremum finem, quis non videt? [3])

§. 3. In hoc autem dissentiunt, quid sit beatitudo et quae ejus vera natura? [4]). Sunt, qui voluptatibus, sunt, qui divitiis, qui honoribus illam contineri existiment; alii aliis rebus. Celeberrima est eorum sententia, qui dicunt, exstare boni ideam, (τὸ αὐτὸ καθ' αὐτό) quae caussa sit efficiens, ut reliqua omnia, quaecunque jure sic appellantur, bona exsistant. [5])

§. 4. Qua de re acute subtiliterque judicare poteris, si varias humanae vitae rationes perspexeris et aestimaveris. [6]) Tria discernes genera,

---

[1]) Ethic. Nicom. I. v. 1—6. p. 1094. Magn. mor. l. p. 1182. v. 33—35.

[2]) C. l. v. 6—17.

[3]) C. l. v. 26; —. p. 1099. v. 29—32; — Magn. mor. p. 1182. v. 36 etc.

[4]) C. l. p. 1095. v. 20—25; — M. m. p. 1183. 2. Ethic. Eud. p. 1214. v. 1 etc.

[5]) Ethic. Nicom. p. 1095. v. 26—27.

[6]) C. l. v. 14—19.

§. 19. Quum medium vitiorum, ut supra monuimus, ratione quasi duce inveniatur, deinceps virtutes in ratione positas definiamus. Binas animi facultates internosces. Altera ea cognoscuntur, quorum principia immutabilia sunt, altera, quorum principia mutantur. Illa pars animi — Graecis ἐπιστημονικόν — ad veri investigationem pertinet, haec, quae prudentia dicitur, — δοξαστικόν, λογιστικόν, φρόνησις — consiliis capiundis praesto est. [1]) Vis animi ad rerum humanarum et divinarum cognitionem pertinens, aut in iis rebus versatur, quae dêmonstrari possunt, [2]) — ἐπιστήμη, scientia, reine Wissenschaft, — aut omnium rerum principia (ἀρχάς) per inductionem, (ἐπαγωγῇ) quam dicunt philosophi, percipit et agnoscit. Hanc Graeci νοῦν appellant, nos *mentem* dicemus. Utraque vi, si conjunctim utaris, evenit, ut sapientem te praestes. [3]) (ἡ σοφία νοῦς καὶ ἐπιστήμη.)

§. 20. Qui virtutem colit, eum ipsa virtute delectari, necesse est. Is autem, qui aut dolore aut voluptate a virtutibus excolendis deterretur, bene moratis adscribi non potest, quia dolendi et delectandi caussa non in ipso, sed extra eum posita est. [4]) Hac de caussa id cuique studendum est, ut eam sui ipsius conformationem acquirat, quam, si voluptatibus non trahitur, continentiam (ἐγκράτειαν); si dolore non commovetur, tolerantiam (καρτερίαν) dicunt philosophi. Conjunctae [5]) efficiunt temperantiam (σωφροσύνην), quae sine dolore voluptatibus abstinet, nec ipso dolore impeditur, quo minus virtutem sequatur. Prudentiae igitur conservatrix [6]) est temperantia.

§. 21. Quodsi vir hoc modo prudentia externisque bonis ornatus virtutes exercet, futurum est, ut beate vivat, nisi forte in Priami calamitates

---

[1]) C. l. VI. cp. 1. p. 1139. impr. v. 5—16; p. 1140.

[2]) C. l.

[3]) C. l. VI. cp. 6. p. 1140; — p. 1141. v. 18. ne multa l. VI.

[4]) C. l. p. 1099. v. 9—14.

[5]) C. l. VII. p. 1145. v. 14 et 15 et ej. lib. cp. 1—10.

[6]) C. l. VI. p. 1140. v. 12.

incidat. Cui autem contigit, ut ad sapientiam solam excolendam incumbat, is profecto divino bono frui et, ut est in fabulis, Deorum epulis interesse coepit. [1])

CAPUT II.

§. 22. Nostri viam et rationem, qua in summo bono inveniendo et describendo usus est, examinare et aut probare aut abjicere, propositum est. Sed quid hoc, inquies, quum summum bonum aut beatitudinem initium aut, si placet principium omnis doctrinae ethicae existimet, quod argumentis ex ratione petitis probari non possit? Concedo, dixisse Nostrum, satis esse, admonere, ut sit. Sed quid sibi vult istud admonere? illud *τὸ ὅτι δειχθῆναι καλῶς?* Ex permultis Nostri locis satis illustratur. Non argumentis probat, rem sic se habere, sed ex fontibus cognoscendi eam sic percipi et agnosci ostendere conatur. Non rationis conclusionem adhibet, sed admonitionem, non per syllogismos, sed per inductionem coarguit. Non temere itaque Noster capit initium sive principium, quasi jam antea datum et per se certum, sed ejus quoque veritatem illustrare studet. [2]) Sed, quid multa, quum ipsa summi boni inveniendi ratio, quam supra ex scriptis Nostri adumbravimus, probat, quae hic probanda sunt?

§. 23. Quinam isti sunt fontes, e quibus quasi aqua saluberrima scatet boni notio? Principia partim per inductionem, partim sensuum experientia, partim ex omnium consuetudine cognoscuntur. [3]) Experientia et

---

[1]) C. l. X.

[2]) Cf. c. l. I. 7. p. 1098. v. 6. *μετιέναι δὲ πειρατέον ἑκάστας (ἀρχάς) ᾗ πεφύκασι·* VI. p. 1141. v. 17. *δεῖ ἄρα τὸν σοφὸν μὴ μόνον τὰ ἐκ τῶν ἀρχῶν εἰδέναι, ἀλλὰ καὶ περὶ τὰς ἀρχὰς ἀληθεύειν.* — Anal. post. II. 19. p. 100 et impr. v. 4. adde pg. 71. v. 27. et Ethic. Nicom. VI. 3. p. 1139. a. v. 26. *ἡ μὲν δὴ ἐπαγωγὴ ἀρχή ἐστι κ. τ. λ.* — Geschichte der Philosophie von Heinrich Ritter, tom. 3. p. 48.

[3]) Ethic. Nicom. 1. 7. p. 1098. v. 3 et 4.

consuetudo imperitae multitudini pari modo patent, quam viro bono et honesto, qui omnia secundum rectam rationem perpendit. Utriusque igitur opiniones in ethicis disciplinis aliquantum valent. Magis tamen boni honestique viri sententiis confidendum est, vulgus enim facillime falsis de dolore et voluptate opinionibus decipitur. [1]) Accedit, quod ad res, quae sub oculos non cadunt, demonstrandas et explicandas iis uti licet, quae visu percipiuntur, quippe quum sensus externus sit fons, e quo cognitio summi boni vel maxime hauriri possit. [2]) Denique mens quoque, quippe cui omnis cognitio debeatur, illis fontibus adnumeranda est. [3])

§. 24. His praemissis ad ipsa Aristotelis placita examinanda transeamus. Quaerendum igitur est primum, utrum fontes cognoscendi, e quibus omnis de summo bono doctrina nascitur, ad ipsam constituendam suppetant, deinde num revera e fontibus istis id, quod derivavit Noster, an hac ratione et via, qua Noster, derivari possit? Sin minus, facile erit ad ostendendum, quid peccaverit, quidve omiserit philosophus. Quum autem hisce posterioribus accurate dijudicatis, fontes quoque magis illustrentur, quum praeterea, sintne veri an falsi, his sive abjectis sive approbatis, facilius perspiciatur, ab his, quamvis secundum naturalem ordinem posteriorem locum teneant, potius ordiamur.

CAPUT III.

§. 25. Primum deliberemus, qua ratione summi boni notio ex fontibus illis derivata sit a philosopho? *Summae disciplinae*, inquit, *summus finis*

---

[1]) C. l. v. 10 et tot. libr. I. cp. 8 et 9. — p. 1094. v. 27 et 1095. sinistra v. 1—12. et dextra v. 3—6.

[2]) C. l. p. 1104. v. 13. — Phys. ausc. VIII. 6. p. 259. v. 10. et VII. p. 260. v. 22.

[3]) C. l. VI. 2. et m. a. l.

summum bonum esse dicitur. Ars reipublicae gubernandae est summa, quare ejus finem, beatitudinem, summum esse, inter omnes constat. (cf. §. 2.)

Nosti antiqui aevi hominem, nam recentiorum neminem fugit, rerum publicarum regendarum scientiae primum locum non esse concedendum. Primum ars politica ab ipsa officiorum morumque doctrina pendet; deinde singulorum salutem cunctorum saluti posthabere saepissime cogitur, dum ethica unicuique consulit, nec quemquam negligit; denique artis politicae finis non felicitas sed libertas esse videtur, eam dico, qua cuivis permissum est, ut se ipsum ad arbitrium et pro viribus beatum aut infelicem reddat, hac tamen conditione, ut ab aliis non impeditus vicissim alios non impediat.

§. 26. Deinde, omnium consensui et imprimis bene morati viri judicio confidens, hac de caussa beatitudinem dignam existimavit, quae supremus humanarum actionum finis dicatur, *quia hanc potissimum ab omnibus expeti* arbitratur. Quamvis enim miles victoriae caussa caedat hostes, tamen supremus ejus finis non est alius, quam ut ipse beate vivat. (§. 2 et 8.)

Primum notandum est, Nostrum hucusque de beata vita nihil certi statuisse, potius concessisse, aliis aliud quiddam summum bonum videri, cuique tamen id, quod amet et appetat, propterea, quod ex amore voluptatem percipiat. (§. 3.) Voluptatis enim nunquam expertem esse beatum, centies repetit. Quae si ita sunt, hoc est nimirum grave dictum, quod censet, quemque mortalem sibi expetere beatitudinem, postquam jam antea, quicquid aliquis appetat, felicitatis nomine significavit! [1]) Nonne eum oportuit antea accuratius describere, quid sit felicitas et deinde probare, hanc ita definitam ab omnibus expeti.

Hoc tamen jam nunc apparet, beatitudinem absque voluptate cogitari, nedum sentiri non posse; *voluptatem ergo necessario sectatur, qui beatae vitae studet.* Huic tamen opinioni, omnes ad unum semper et ubique stu-

[1]) C. l. I. 2. p. 1095 et p. 1099. v. 8. ἑκάστῳ ἐστὶν ἡδὺ πρὸς ὃ λέγεται φιλοτοιοῦτος κ. τ. λ.

dere voluptatibus, ne ardentissimi exsistant impugnatores, vereor. Quid Codrus, dicerent illi, quid Leonidas, Decii permultique alii, qui omnia sua, vitam, vitaeque fructus civium saluti devovebant? Quid illi, qui pro ducibus, pro amicis, pro liberis, parentibus, pro veritate et fide cruciatus foedissimos mortemque acerbissimam oppetebant? Nihilne morituri quaesiverunt, nisi, ut beate *viverent?* An putas, omnes, qui ad sibi carissima servanda laeto animo vitam abjicerent, vitam coelestem sperasse, quum tu ne ipse quidem aliquid certi de animi immortalitate docuisse videaris? Profecto, fuerunt homines, iique honestissimi et laude virtutis dignissimi, qui majus et altius quiddam spectabant, quam corporis aut animi voluptates, qui ipsa virtute, nulla utilitate objecta, etiamsi incommodatura esset, delectabantur. Itaque illud summi boni signum (criterium) consensus omnium, deest beatitudini.

§. 27. Attamen sunt, qui dicant [1]): omnes fortissimi magnanimique viri, quos enumerasti, inde a prima aetate ad magnas celeberrimasque res gerendas animum adverterant; cui studio ardentissimo quum satisfacerent, profecto summae et sincerissimae voluptatis participes facti sunt. *Nonne igitur optimus quisque suam ipsius voluptatem expetit?* Minime gentium, ut mihi quidem videtur. Hosce ex animo et consulto magnis rebus studuisse, non nego, sed nego, propter voluptatem id fecisse. En Socratem! Ex custodiis effugere et diutius etiam amicorum sermonibus frui eosque vera sapientia imbuere et conformare poterat. Tamen non fugit, sed mori maluit. Num censes adhuc, mortem propter voluptatem praetulisse? Sane, inquies, legi, qua morte multatus est, obtemperans voluptate affectus est. —

---

[1]) Cf. Michelet.: Das System der philosophischen Moral u. s. w. Berlin 1828. p. 112. Denn auch, inquit, in der Ausübung der „Tugenden und Erfüllung der Pflichten befriedigt sich der Mensch und begeht solche Handlungen nur, in so fern er jene Befriedigung darin findet. — Et ej. p. v. 28: Da im Gegentheil das Bedürfniss grosser Thaten und dann allerdings die Befriedigung dieses Bedürfnisses, das Interesse solcher Helden oder ihr eigenes Pathos ausmacht.

Equidem non inficias eo, rei bene gestae conscientiam delectare et ipsam delectationem non minimum perfectae virtutis esse signum, sed num propter hanc voluptatem mortem praetulerit, nihilominus dubito? Si is erat, qui nihil, nisi jucundos animi affectus quaereret, nonne eum minorem voluptatem majori posthabere oportuit? Quid autem magis delectat, num vita sine culpa peracta, contemplationi rerum humanarum et divinarum dedita, in amicis edocendis consumta, an conscientia obedientis erga judices animi cum *morte* conjuncta, praesertim, cum in dubitationem vocari possit, utrum injustorum sententiae obtemperandum sit, necne? Quis mortem non timet, quis rerum post mortem futurarum contemplatione non angitur? Audi Ciceronem hac de re disputantem: quis autem, inquit, de ipso sapiente aliter existimat, qui etiam, quum decreverit, esse moriendum, discessu a suis, atque ipsa relinquenda luce, moveatur? — Si voluptati igitur studuisset Socrates, fugam non mortem sibi electurum fuisse, mihi persuasum est.

Sed, quid est, quod haecce copiosius tractemus, quum de voluptate, quam ex recti bonique conscientia enasci putamus, apud Aristotelem nihil legatur. Contra voluptas in eo continetur, quod vegetiori agendi studio imbuat laetum. Haecce minime in Socratem cadit, nam vita ademta omnis agendi facultas erepta videtur. Decedunt igitur ab illa de sola felicitate eligenda opinione illi viri, qui eo consilio justum rectumque colebant, ut conscientiae admonitioni satisfacerent.

Quod tandem ad magnorum facinorum furorem heroibus proprium (τὸ πάθος Micheletii) attinet, tantum abest, ut in agendo finem respiciant et aut virtutem aut felicitatem sibi proponant, ut nihil, nisi sibi indulgentes ipsi ad agendum caeco quodam impetu ferantur. Si tamen Micheletius non illum e natura emanantem nosque summa vi trahentem furorem, sed facultatem (ἕξιν Nostri) exercendo et agendo comparatam verbo illo significari vult; ne in hanc idem cadat, quod in illum, vereor. Occasione enim oblata nunquam de ipso facinore ejusque fine, quum ipsum facinus sit finis, deliberatur capiturque consilium, sed de iis, quae ad id perpetrandum faciant et

adjuvent. Ab initio tamen, priusquam illa cupido adolevit et pectori insedit, consilio et labore et saepissime invitis naturae desideriis se exerceant, necesse est, ut aliquando viri fortis et strenui, cum in bello, tum in aliis rebus partes sustineant. Ubique evenit, quod Horatius: multa tulit, inquit, fecitque puer, sudavit et alsit; abstinuit Venere et vino. —

§. 28. Sed ne tunc quidem, quum ponimus, illam animi tranquillitatem, quam ex rebus bene gestis percipiant viri magnanimi, a Nostro quoque perspectam et inter voluptates esse relatam, de veritate illius sententiae, qua omnes homines studere beatitudini existimantur, aliquid constat; contraria enim opinione, eaque non minus, immo magis probabili, tollitur. Quae contradictio satis probat, via empirica, quam dicunt, nullum plane sapientiae placitum pro ratione philosophica doceri posse. Quid enim impedit, quin Brutum alius propter virtutem, alius propter voluptatem, — animi tranquillitatem dico, — filios capitis damnasse autumet, quum utrumque dici quidem, sed argumentis ex ratione petitis demonstrari non possit. Res hominis gestae sensibus quidem percipiuntur, sed quid eum ad res perpetrandas moverit, latet reliquos, semperque latebit.

§. 29. Beatae vitae studium, dicet fortasse alius, est naturae desiderium. Homo scilicet a natura ita comparatus est, ut ad aliquid appetendum necessario impellatur. Ipso tamen agendo et assequendo, quod petiit, voluptate fruitur. A natura igitur ad voluptatem sibi expetendam compellitur, nec ullo modo hanc naturae necessitatem evitare potest. Videsne, exclamat iste, quum nemo non ad beatae vitae studium cogatur, omnes beate vivendi cupiditate esse incensos. [1]) — Immo video, voluptatis studio in universum omnes allici, attamen, qui invitatur a Sirenis, *non* statim eas sequitur. Naturae incitamentis minime subjecta est libertas voluntatis humanae. Ad ea igitur, quae recta ratione imperantur, quaeque naturae desideriis plerumque contraria sunt, libero ex arbitrio adniti possumus, hoc est enim liberi

---

[1]) Kant's Kritik der praktischen Vernunft, p. 45. Anm. II.

arbitrii proprium munus, quod nulla re, nisi se ipso, ad agendum impellitur. Quod si neges, omnia officii praecepta tibi evanescent, nec opus erit, de summo bono diutius anquirere. Nam id ipsum a natura nobis quasi intruderetur, quod autem homo quasi servus patitur, actionum finis esse non potest.

CAPUT IV.

§. 30. *Supremus finis is est, qui semper propter se, nunquam propter aliud expetitur. Talem esse beatitudinem censet Noster.*

Primum non concedendum est, felicitatem semper propter se et nunquam propter aliud expeti. Omnes enim hac de caussa felicitati studere mihi videntur, quod vitae degendae inservit. Quum enim vita, — terrenam dico — ab omnibus, qui morum gravitatem et dignitatem parum respiciunt, res summi pretii existimetur, accidit, ut, quaecunque res ad vitam expedite lauteque agendam aliquid afferat, laudetur et expetatur. Felicitas autem ad vitam jucundiorem et vegetiorem reddendam plurimum valet, quid mirum, quod plurimis hominibus res maximi pretii videtur? Quis tamen non videt, felicitatem, si sic se res habeat, non propter se laudibus efferri et magni aestimari, sed propter vitam? Est igitur beatitudo per se res nullius pretii, sed eatenus tantum aestimatur, quatenus ad vitam refertur.

Verum enimvero affirmat Noster, in ipso vegetiori vitae genere contineri felicitatem. Nonne igitur pessime felicitas, quam in universum ita dicimus, a vitae felicitate distinguitur? Nonne cuique, haud litigioso, beata vita et beatitudo unum idemque esse videtur? — Lubentissime adsentior, sed inter vitam beatam et vitam, quam ita dicimus, plurimum interest, nimirum beatitudo. Capitis damnatus vitam solam sibi exoptat. Vita redonata felicitatem demum sectatur, ut bene lauteque vivat. Vita igitur est primum bonum, felicitas autem tunc demum bonum quiddam existimatur, quum ad vitam refertur.

§. 31. Quod si cui his quoque dictis non satis persuasum esset, is haecce mecum consideret. Si Noster censet, voluptatem ipsi actioni, tamquam partem ejus integram et propriam, inesse et ita inhaerere, ut altera sine altera exstare non possit, [1]) minus recte censuisse mihi videtur. Ipse confitetur, ἐνέργειαν voluptate perfici, quare finem agendi esse voluptatem magisque in otio (ἠρεμίᾳ), quam in motu sitam. [2]) Num quid, quaeso, actioni arctissime connexum, simul otiosum esse potest? Erravit Noster actionem et voluptatem inde perceptam una notione unaque essentia, felicitatis dico, comprehendens, quum re vera haec illam sequatur, immo actione jam dudum finita in nobis adhuc remaneat. Quis enim est, quin rei bene gestae multis etiam post annis summa cum voluptate recordetur. Quae cum ita sint concedamus, necesse est, beatitudinem, aut, si magis in actione versetur, propter voluptatem expeti, aut penitus voluptate contineri. Voluptatem tamen minime semper et ubique propter se ipsam expeti, inter omnes constat, quippe quum viri sapientissimi atque optimi interdum voluptates, nimirum honestas, quaerant, ut vires, labore et studio exhaustas, reficiant.

§. 32. Quum praeterea summum bonum id esse oporteat, propter quod et quo quasi duce reliqua perpetrentur, quum quasi vitae regula exsistat, [3]) nonne, quamvis virtuti consentanea actione contineri beatitudinem doceat Noster, fieri possit, ut virtus voluptati, tamquam dominatrici cedat et se huic accommodet. Ex voluptate enim inde percepta virtus agnoscitur, [4]) si Nostrum sequaris. Virtus tamen saepissime voluptati repugnat. Quid igitur accidet? Ut e numero virtutum eximatur, quaecunque voluptatem minuat. Vides, quomodo in perniciosissimum sui ipsius studium, mollissimam-

---

[1]) C. l. I. 8. p. 1099. v. 14—24.

[2]) Ethic. Nicom. VII. 15. p. 1154. v. 28. — X. 4. p. 1174. v. 33.

[3]) C. l. I. 1. p. 1094. v. 23. — 12. p. 1102. v. 3.

[4]) C. l. II. 2. p. 1104. v. 4.

que voluptatum cupidinem degenerat Nostri doctrina. — Quid, inquies, qui solam virtutem sequatur? Quid, qui sapientiam? Nonne uterque sui ipsius amore ideoque voluptate trahitur? Cur beate vivendi studio id opprobrio ducis, quod omnibus aliis concedere cogeris? — In virtute, in sapientia acquiescat, qui agit, licet, nec tamen virtus mutilatur. Sat est, bene vixisse virum nec opus est, voluptatem ex bene actis proficiscentem captare et ea, quasi praemio frui, ut bene moratus praedicetur. Immo fieri potest, ut aliquis sit vir bonus quamvis sibi non conscius sit, se esse bonum. Quis est, qui huic sui ipsius amorem et voluptatis studium imputet? An censes, istum virum e numero bonorum eximendum esse, in quo virtutis studium consuetudine ita inveteratum sit, ut nullo negotio et quasi inscius id agat, quod decet honestum?,[1]) — Praeterea divina et coelestia appetere, deinde terrena ita efformare et comparare, ut illis apprime respondeant, jubet nos quaedam menti nostrae insita facultas. Qui huic facultati obediens est, non sui ipsius sed officii et quatenus omnia a Deo initium capiunt, Dei amore ad bene agendum incitatur. Profecto haec ipsa sententia jam latet apud Nostrum, quando extremo Eth. Nicom. libro censet, summam felicitatem in summa virtute, sapientia contineri, eumque beatissimum futurum esse, qui veris investigandis et contemplandis Deo maximo, optimo propior accedat.

CAPUT V.

§. 33. *Quivis finis, inquit Noster,* (§. 7.) *bonum est.* Ergo *supremus finis summum bonum.*

---

[1]) Iis quidem non assentior, qui putant, virtutem voluptate ex illa percepta quasi contaminari et adnituntur, ut hanc radicitus evellant et caveant, ne ex animo et lubenter praestent officia. Contra perfectioris virtutis esse existimo, lubentissime id agere, quod jubent officii praecepta. Illud autem placitum, quo jubemur, non propter virtutem, sed propter felicitatem studere virtutibus, absurdum mihi videtur, propterea, quod ei, qui ab

Quem syllogismum, ut examinemus, quaerendum videtur, primum, quid sit bonum, deinde, quid Noster bonum esse censeat. Duplex videtur boni genus, alterum relativum, alterum absolutum. Plerumque bonum et utile idem dicitur, quippe quum quaevis res, quae ad propositum assequendum utilis est, bona exhibeatur. Rem ejusmodi igitur ex relatione ad aliam rem ferunt bonam, hac tamen conditione, ut res ipsa, ad quam referatur, aut sit bonum quiddam, aut bonum quidem ei, qui agit, esse videatur. Qui fit, quaerimus, ut res exoptata, quam agendi finem dicimus, bonum a nobis existimetur? Duplici ratione id fieri potest. Res bona nuncupatur ideoque tanquam finis proponitur, aut quod sensibus, aut quod rationi placet. Sensibus id placet, quo voluptate afficimur, quare ipsa voluptas apud eos, quorum vis judicandi solas sensuum praestigias sequitur, principatum obtinet, iisque summum bonum esse videtur. Rationi placet, cum quod ipsi, tum quod ejus de moribus praeceptis consentaneum est, divinum igitur et altius quiddam, quod, viribus animi elatioribus nixum, a sensuum titillatione est remotissimum, nos appetere jubet. [1]) Id posterius summum et absolutum bonum a sapientiae studiosis dicitur. Hoc demum bono constituto scimus, quid revera sit bonum et quid intersit inter bonum et utile. Apparet enim, a ratione nihil bonum dici, nisi quod bono illi absoluto aut congruat, aut ad ipsum assequendum aliquid conferat. Illud per se, hoc ex relatione ad bonum absolutum bonum dicitur, nimirum bonum relativum. Quodsi igitur sensibus placet, et plura alia dicere bona, et felicitatem summum bonum existimare, ut supra diximus, hoc non ferendum est, quippe quum non ratio sensuum illecebris corrupta sed ratio pura et sincera de omnibus rebus facere debeat judicium. Quid autem censet ratio de felicitate? Simulatque intellexit, felicitatem ad bene agendum nonnihil facere posse, bonum esse

---

initio, invitis naturae desideriis, recte beneque facit nec hucusque voluptatem, qua exinde perfundi potest, expertus est, virtutis laudem plane derogare non audeo.

[1]) Cf. §. 32. s. f. et q. infra cp. 6. disseremus. — Elvenich's Moralphilosophie. 1. 13. c.

quiddam, relativum tamen, non negabit. Tantum igitur abest, ut felicitas ad virtutes constituendas et describendas inserviat, ut bono absoluto jam perspecto ideoque virtutis notione jam descripta, quid esse oporteat felicitatem, ut sit bonum, dicere possimus.

Constat igitur inter nos, boni esse duplex aut si placet triplex genus. Bonum *absolutum et summum* dicemus, quod rationi per se placet; bonum *relativum*, quod rationi ex relatione ad illud absolutum placet. Ab his bonis diligentissime discernemus ea bona, quae in vulgus ita dicuntur, quia ad hanc vel illam rem procreandam utilia videntur; haecce dicemus bona physica, ne in posterum nomine careamus.

§. 34. His expositis, quaeramus necesse est, quo sensu Noster verbo boni utatur. Si dicit: „quivis finis bonum quiddam est", hanc vulgarem latiusque patentem verbi boni significationem respicere videtur. Quum enim omnis materia — uti Nostro videtur — quae fundamento est omnium rerum essentiae, [1]) vi quadam rectrici (*ἐντελεχείᾳ*) moveatur, ut formam, quam dicunt, accipiat singulasque in res transeat, [2]) quum praeterea entelechiae hoc maxime proprium sit, quod ipsi insit sui ipsius finis et perfectio, [3]) nihil tamen agendi finis fieri possit, nisi bonum; [4]) sequitur, ut quisque finis physicum bonum aut sit, aut appetenti esse videatur. [5]) Nostro quidem illa vis movendi et regendi illaque materia fundamentalis res per se bonae nihilque nisi bona expetere sibique proponere videntur, sed quo jure qui-

---

[1]) Phys. ausc. l. 92. p. 19. v. 31. *λέγω γὰρ ὕλην τὸ πρῶτον ὑποκείμενον ἑκάστῳ.* Metaphys. VII. 1. p. 1042. v. 26—33. *ὕλην δὲ λέγω, ἣ μὴ τόδε τι οὖσα ἐνεργείᾳ, δυνάμει ἐστὶ τόδε τι.* Geschichte der Philosophie, von Heinrich Ritter. 3. p. 127 etc.

[2]) Metaph. Vt. 9. impr. s. f. v. 17 et 18. *ἀλλ' ἴδιον τῆς οὐσίας ἐκ τούτων λαβεῖν ἐστιν, ὅτι ἀνάγκη προϋπάρχειν ἑτέραν οὐσίαν ἐντελεχείᾳ οὖσαν ἣ ποιεῖ,* — c. l. VII. 6. p. 1045; I. 3. p. 983. v. 29, 30. Ritter c. l. p. 149. e. s. — De anima. II. 1. p. 412. v. 10.

[3]) Metaph. VIII. 6. p. 1048. v. 18—36. Ritter c. l. p. 158.

[4]) C. l. I. 3. p. 983. v. 31 et 32.

[5]) De anima. III. 12. p. 434. v. 1. *τέλος — ὅ ἐστι φύσεως ἔργον.*

busve caussis nusquam dixit, nedum probavit. — Sententia igitur est mera commenticia et hypoleptica. Quid enim fieret, si quivis naturae appetitus bonum quiddam esse existimaretur. Sed ad rem revertamur. Quod rebus, idem contingit homini, quippe naturae parti; nam ejus quoque anima entelechia sive energia a Nostro existimatur. [1]) Itaque homo quoque finem aliquem respiciet, eumque bonum esse existimabit et rursus eum sectabitur, quod censeat, esse bonum. [2]) Naturali igitur quadam vi bonum quiddam homini tanquam finis proponitur. Tamen censet Noster, rationis esse munus, de iis, quae naturae vi bona sint necne judicare. [3]) Nonne igitur ipse concedit, alios fines esse *κατὰ φύσιν* bona, alios non esse? Quae cum sic se habeant, de veritate illius enuntiationis majoris, „quisque finis bonum est" haecce statuenda sunt: primum, bonum, de quo sermo est, esse physicum bonum, deinde, ne id quidem semper et ubique esse verum, saepius enim accidere, ut ratio neget, esse bonum, quamvis bonum esse sensibus videatur. [4]) Fluctuat igitur hujus sententiae veritas, immo corruit, nisi forte his verbis utaris: „quisque finis physicum bonum esse videtur." Enuntiatione tamen majori sic mutata sequitur, ut supremus quoque finis summum physicum bonum non revera sit, sed esse videatur. Ponamus igitur, contigisse Nostro, ut probarit, felicitatem esse talem supremum finem, tamen non evicisset, hunc finem esse summum et absolutum bonum, ethicum dico,

---

[1]) De anima. II. 1. p. 412. v. 27. *διὸ ψυχή ἐστιν ἐντελέχεια ἡ πρώτη σώματος* — p. 414. v. 18 etc. — p. 415. v. 7 etc. Metaph. VII. 8. p. 1048. v. 35.

[2]) Metaph. XI. 7. p. 1072. a. v. 27. *ἐπιθυμητὸν μὲν γὰρ τὸ φαινόμενον καλόν, βουλητον δὲ πρῶτον τὸ ὂν καλόν. ὀρεγόμεθα δὲ διότι δοκεῖ μᾶλλον* (ita Bekkerus, alii scribunt *καλὸν*) *ἢ δοκεῖ διότι ὀρεγόμεθα.*

[3]) Ethic. Nicom. 1. 8. p. 1099. *τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς τὰ ἡδέα μάχεται διὰ τὸ μὴ φύσει τοιαῦτ' εἶναι, τοῖς δὲ φιλοκάλοις ἐστὶν ἡδέα τὰ φύσει ἡδέα.* Ethic. Eud. VII. 15. p. 1248. v. 26. Polit. VII. 13. p. 1332.

[4]) De anima III. 10. p. 433. v. 28.

quodvis enim aliud hoc nomine est indignissimum. [1]) Rationis enim est hac de re judicium. Quicunque autem rationis incorruptae placita respicit, eum non fugit, omnia bona, quae appetitu probantur ideoque bona denominantur, ut felicitatem, vitam et alia, pro relativis quidem a ratione haberi posse, sed nunquam pro absolutis. Utrumque igitur bonum a Nostro mixtum esse quis est, quin videat? Quid eum facere oportuerit, vix opus est monere. Boni absoluti notione judicio et vi rationis constituta eum monstrare oportuit, quid bonum in relatione ad absolutum bonum dici possit, et deinde ea, quae appetitui bona videntur, accuratissime ab illis discernere. Inversum tamen ordinem secutus primum appetitum et deinde rationem de summo bono consuluit, et utriusque sententias confundens idem esse temere decrevit. Quo factum est, ut felicitas in absoluti boni notionem irrepserit.

§. 35. Haerebit fortasse aliquis in eo, quod Noster ipse libere confitetur, se non bonum per se (τὸ αὐτὸ καϑ' αὐτὸ) sed id quaerere, quod ab homine comparari possit (τὰ κτητὸν ἀνϑρώπῳ). [2]) Quis igitur jure eum perstringat, quod bonum absolutum et relativum confuderit. Vera monuisti, sed cum a nobis illud bonum, quod ab homine comparari potest, quaeritur et absolutum dicitur (cf. §. 33 et 34), tum Aristoteli, Platonem vehementer oppugnanti accidit, quod permultis, qui adversarii exsistunt et vincendi ardore abrepti veritatem imprudentes expellunt; ex improviso ad eam revertuntur. Bonum illud hominis, ad quod adspirat Noster, aliud esse non potest, quam ipsum absolutum. Nam inter phaenomena, quae dicunt, nihil exsistit, quod hoc sensu bonum dici potest, quodvis enim phaenomenon est bonum propter aliud, aut certe tanquam bonum relativum a nobis agnoscitur, nec aliter agnosci potest. In numenis igitur quaerenda est boni no-

---

[1]) Scilicet hoc bonum est summum, quod ab hominibus comparari potest. Hoc quoque ad aliud bonum, ad Deum maximum, optimum referri debere, hac de re disputare a proposito nostro est alienum.

[2]) Ethic. Nicom. I. 4. p. 1096. v. 33—35.

tio. Apparet, esse aut boni ideam, ex quo a Deo maximo procreati sumus, nobis insitam et mentis se ipsam intuentis vi perceptam et explanatam, ut Platoni videtur, aut illud bonum, quod conscientia sive ratione practica, quam dicunt, cognoscitur et nobis suadetur. [1]) (Das moralisch Gute.) Huicce alteri Aristotelis bonum maxime respondere, nemo negabit, qui ejus placita bene percepta habet. Ubique praeterea bonum per se (τέλος ἁπλῶς) et bonum propter aliud (τέλος πρός τι) accurate distinguit, et illud bene actis contineri monet (ἡ γὰρ εὐπραξία τέλος). [2]) Hoc tamen interest, quod sibi ipsi, ut mihi videtur, parum constans extremo Ethic. Nicom. libro in sola sapientia summum bonum versari opinatur, ita, ut parum absit, quin Platoni assentiatur, praesertim quum ex altera parte Platonis ideam tanquam formam inanem et vacuam evanescere oporteat, nisi officii praeceptis tanquam materia sua, impleatur. His omnibus satis probasse mihi videor, Nostrum, dum Platonem fugiat et oppugnet, bonum absolutum (τὸ αὐτὸ καθ' αὑτό) reprobasse quidem, sed ex improviso ad id reversum esse. [3]).

---

§. 36. Summa disputationis hucusque exhibitae haec est. Aristoteles tribus e caussis censuit, beatitudinem esse supremum finem et ideo summum bonum: primum quod rerum publicarum gubernandarum ars beatitudinem sequatur; deinde quod eam omnes adspirent; denique, quod semper propter se et nunquam propter aliud expetatur. Harum nullam constare pro viribus conati sumus ostendere. Primum enim rerum publicarum regendarum scientia nec summa scientia est, nec continuo spectat beatam vitam; deinde optimus quisque altius et melius quiddam spectare videtur, quam beatitudinem (cp. 3); denique felicitatem, quicunque eam sectatur, non propter ipsam sed propter vitam

[1]) Cf. Kant's Kritik der praktischen Vernunft, p. 98 — 118 et quae infra hac de re dicemus.

[2]) Ethic. Nicom. VI. p. 1139. v. 3.

[3]) Cf. Michelets System, p. 187. v. 1 — 4.

sibi expetit (cp. 4). Praeterea Noster evincere conatus est, supremum finem esse summum bonum. Nos contra ne huic quidem rationis conclusioni plausum dedimus. Satis, ni fallimur (cp. 5) probavimus, sententiam illam, qua nititur omnis argumentatio, non ab omni parte esse veram, quod erratum exinde profectum esse, quod bonum absolutum et relativum inconsulto miscuerit philosophus.

CAPUT VI.

§. 37. Postquam Aristoteles summum bonum beata vita contineri ostendit, ad veram ejus naturam copiosius explicandam progreditur. Quae ut accuratius definiatur, quaerendum esse existimat, quem ad finem homo natus sit. [1]) Nam in mentem venit philosopho, et multitudinem et bene moratum virum in vulgus huic opinioni adsentiri, qua hominis destinatio actionum humanarum supremus et ultimus finis judicatur. Quid mirum, quum utriusque linguae usus documento sit, utramque notionem plerumque ab hominibus misceri. Graecis „ἔργον" et „τέλος" saepius idem sonat, et Latini eodem verbo „finis" ad utramque significandam utuntur. Praeterea ἐνέργειαν sive ἐντελέχειαν inesse homini, hanc tamen et hominis finem et finis appetentiam complecti, eumque perficere censet. Destinationis igitur vi et natura exposita haud inique Noster sperat, fore, ut clarius distinctiusque eluceat, quibus rebus summum hominis bonum contineatur.

§. 38. Ad ea, quae hac de re disputavit Aristoteles, dijudicanda, mirum quantum interest, ut nobis certum ratumque sit, quo ex fonte et qua ratione aliqua de hominis destinatione scientia haurienda sit. Unus fons omnis intelligentiae philosophicae est sensus internus (das Selbstbewusstsein). Huic placito sive aperte sive tecte ad unum omnes consentire philosophan-

[1]) Ethic. Nicom. 1. 6. p. 1097.

tes, audacter affirmo. Non est alius testis, quo nobis persuadeatur, ut simus et agamus, nullaque sive rei externae sive internae imago percipitur et cognoscitur nisi per hunc sensum. Sensu igitur interno cognosci destinationem, necesse est. Sed late patet hic sensus omnesque res humanas complectitur, quas ut in certum ordinem redigamus et quasi in luce ambulemus, mentis humanae vires et facultates distinguere et definire, ne multa, psychologiae nos operam navare oportet. Hac in disciplina diligenter et probe versantem non fugiet, inesse nobis aliquid, quo nunc ad aliquid agendum, nunc ad aliud evitandum impellimur, cujus incitamentis morem gerentes laetitia, — male obedientes, tristitia fraudisque cruciatu afficimur. Conscientia haec facultas in vulgus dicitur, philosophi tamen de nomine discrepant, alii, et rectius quidem, rationem practicam, alii minus recte sensum moralem, alii aliter nominant. In eo omnes fere consentiunt, quod sit animi facultas, per quam officii praecepta nobis tradantur et ad servandum, necessitate quadam morali interposita, proponantur. Philosophi strenui et vere sapientis est, demonstrare, hanc vim et facultatem menti nostrae inhaerere et ita inhaerere, ut nec consuetudine nec educatione parta, sed una cum mente orta et natura nobis insita sit. Praeterea coarguet, hac ex animi facultate officii praecepta, quantum licet per humanae mentis debilitatem — et hinc omnem vitae perfectae, ad quam nati videmur, ideam proficisci. Quibus omnibus ea, qua rei veritas cuique persuadeatur, vi et perspicuitate expositis, de vero et summo hominis fine, — destinationem dico, nihil dubitationis erit relictum. Quodsi vero secus eveniret, si potius quasi invitis philosophis eluceret, ne minimum quidem officii praeceptum ex vi quadam animi nostri erui et probari posse, ne multa, si omnis de ratione practica doctrina corrueret, tota quoque de moribus philosophia everteretur et ad nihilum reduceretur, necesse esset. Nihil nobis relictum esset, nisi rationis perditae miserrimus luctus et, proh dolor, ne divinae revelationis quidem sanctissima praecepta tunc intelligeremus, ne dicam agnosceremus. Facultate enim ademta, id quoque nobis ereptum est, quod in ea nititur.

§. 39. His praemissis eo facilius perspiciemus, quatenus Noster a vera rectaque summi boni inveniendi via aberraverit; ad ipsum igitur redeamus.

Hominem a natura aliquem ad finem natum esse, exemplis e mundo externo allatis illustrat. Nam si quidem hominem exstare certum est, aliquem ad finem exstare, quis sanae mentis neget. Latet tamen, sitne homo, ut sit, an alium nescio quem ad finem. Natum esse, ut rationi convenienter agat, adjecit Noster, hominem solum enim ex tot animantium generibus rationis esse participem. — Unde scis, quaerimus, hac enuntiatione describi et afferri illius caussam, quomodo edoctus es, rationi principatum esse concedendum? Et ratio et naturae desiderium, utravis homini innata et necessaria est, utramque sequendam tu ipse commendas. Nihil interest, ut naturae desiderium ratione moderatum et finibus circumscriptum velis, quum invicem necessitas finita rationem definiat, altera alteram necessario terminis includat et praeterea hoc de appetitu finiendo placitum ex ipso errore, — non esse errorem, hoc erat evincendum, — quo rationem dominatricem, appetitum servum putas, ortum sit. Nihil igitur protulisti, ut nobis persuadeas, inter sententias, quas supra memoravimus, intercedere rationem caussalem.

§. 40. Ita censet, inquis, vir bonus et bene educatus, hac tamen conditione, ut *ad officii praecepta cognoscenda, et ad consilia his praeceptis consentanea capienda et perficienda* rationem adhibeat genus humanum. — Hoc sane est magnum ad vitam bene agendam momentum. Intelligo, te in illa obiter adumbrata opinione consistere non potuisse, propterea, quod et probo et improbo inest ratio et uterque rationi convenienter vivit, nimirum alter altero modo et ad alium finem. [1]) Improbus ad id adnititur, ut voluptatibus quam plurimis fruatur, incuriosus, sitne fas an nefas, per quod eas consequatur. Nonnullis omissis, eveniet tunc, quod Torquatus apud Ciceronem, delectu et ratione expetendam esse voluptatem fugiendumque dolorem, affirmans, tam egregie depinxit. „Libero tempore, inquit, quum so-

[1]) Ethic. Nicom. I. 7. p. 1098.

luta nobis est eligendi optio, quumque nihil impedit, quo minus id, quod maxime placeat, facere possimus, omnis voluptas assumenda est, omnis dolor repellendus. Temporibus autem quibusdam — eveniet, ut et voluptates repudiandae sint et molestiae non recusandae. Itaque earum rerum hic tenetur a sapiente delectus, ut aut rejiciendis voluptatibus majores alias consequatur, aut perferendis doloribus asperiores repellat.“ Liceat nobis afferre, quod ipse Cicero respondit Torquato: „nihil tam turpe est, quod voluptatis caussa iste non videatur esse facturus,“ dummodo judices callide fallat et viri probi speciem prae se ferat. Num adhuc dubitamus, quin ille, ut judices eludat, ratione carere non possit? Qua de caussa laudem meruit Noster, quod bono beneque educato viro judicium de naturae desideriis finiendis, id est de virtutibus tribuens, rationis usum accuratius describere conatur. Vir bonus enim semper virtuti palmam deferet.

§. 41. A proposito tamen non alienum videtur, inquirere, per quem et qua via, ipse bene moratus officii praecepta doceatur. E tota Nostri disquisitione apparet, nullius rei nisi mentis ope. A virtute enim pendet felicitas, virtus autem est medietas quaedam inter vitia, quae tamen medietas ratione recta definitur. [1]) Virtus ethica in actione nititur, actionis autem initium est deliberatio et captum inde consilium. [2]) Recte deliberandi et consilii capiendi munere vir prudentia praeditus optime fungitur. [3]) Prudentiam (*φρόνησιν*) igitur Noster appellat eam animi virtutem, quae in naturae desideriis finiendis versatur, de qua praeterea nonnulla ab illa officia promulgante ratione recentiorum non aliena praecipit. Decet enim, pruden-

---

[1]) C. l. II. 2. v. 32. p. 1103. — VI. 1. p. 1136. — p. 1137. imp. v. 33. *διὸ οὔτ' ἄνευ νοῦ, ἔστιν ἡ προαίρεσις;* et v. 24: *δεῖ διὰ ταῦτα τόν τε λόγον ἀληθῆ εἶναι.*

[2]) C. l. VI. p. 1137. v. 31—33. *πράξεως μὲν οὖν ἀρχὴ προαίρεσις, ὅθεν ἡ κίνησις, ἀλλ' οὐχ οὗ ἕνεκα.*

[3]) C. l. p. 1140. v. 24—28. *δοκεῖ δὴ φρονίμου εἶναι τὸ δύνασθαι καλῶς βουλεύσασθαι περὶ τὰ αὐτῷ ἀγαθὰ καὶ συμφέροντα.*

tiam esse rationem practicam [1]) in rebus agendis occupatam, quae leges ferat [2]) et imperet, quid faciendum, quid evitandum sit. [3]) Quae omnia a recentiorum opinione non abhorrere *videntur*. Quamvis enim legislatoris munere eatenus tantum fungatur, quatenus rerum publicarum gubernandarum ars appareat, tamen nemo, nisi sui ipsius intellectui confidens leges ferendas agnóscere potest. Magis etiam alterum et tertium illud dictum, quibus *πρακτική* et *ἐπιτακτική οὖσα* exhibetur prudentia, rationi illi practicae recentiorum conveniunt. Qua in re tamen non praetermittendum videtur, quin illa denominatio, qua practicam ferunt, latissime pateat — perplures enim sunt artes practicae, quas dicunt, ut equitandi, coquendi, metiendi, pugnandi; — et ad veram hujus facultatis naturam accurate describendam non sufficiat. [4]) Praeterea illa vis imperandi apud Nostrum magis ab appetitu, *ὄρεξιν* dico, quam a ratione proficisci videtur. [5]) Ubi enim intelligentiam et prudentiam (*σύνεσιν καὶ φρόνησιν*) discernit, soli prudentiae non intelligentiae imperandi vim tribuit, quamvis in iisdem rebus versentur; [6]) num alia de caussa, quam quod intelligentia in sola mente nititur, prudentia autem a naturae desideriis quasi ad certamen provocetur et impellatur.

---

[1]) C. l. p. 1137. *αὕτη μὲν οὖν ἡ διάνοια καὶ ἡ ἀλήθεια πρακτική.* p. 1140. v. 4. *λείπεται ἄρα αὐτὴν εἶναι ἕξιν, ἀληθῆ μετὰ λόγου πρακτικὴν περὶ τὰ ἀνθρώπῳ ἀγαθὰ καὶ κακά.* et v. 20. *ὥστ' ἀνάγκην τὴν φρόνησιν ἕξιν εἶναι πρακτικήν.*

[2]) C. l. p. 1141. v. 23. *ἔστι δὲ καὶ ἡ πολιτικὴ καὶ ἡ φρόνησις ἡ αὐτὴ μὲν ἕξις, — τῆς δὲ περὶ πόλιν ἡ μὲν ὡς ἀρχιτεκτονικὴ φρόνησις, νομοθετική.* Cf. etiam c. l. I. 1. p. 1094. v. 4 — 8.

[3]) C. l. p. 1143. v. 7 — 10. *οὐκ ἔστι δὲ ταὐτὸν σύνεσις καὶ φρόνησις· ἡ μὲν γὰρ φρόνησις ἐπιτακτική ἐστιν*

[4]) Georg Hermes: Philos. Einleitung, p. 213; unten und in der Note. Nämlich die verpflichtende Vernunft ist nachzuweisen, nicht die praktische oder moralische überhaupt.

[5]) C. l. VI. 13. — Magn. mor. II. 8. p. 1199. p. 1200. p. 1206. v. 17. *ἁπλῶς δ' οὐχ, ὡς οἴονται οἱ ἄλλοι, τῆς ἀρετῆς ἀρχὴ καὶ ἡγεμών ἐστιν ὁ λόγος, ἀλλὰ μᾶλλον τὰ πάθη. δεῖ γαρ πρὸς τὸ καλὸν ὁρμὴν ἄλογόν τινα πρῶτον ἐγγένεσθαι* — etc.

[6]) Ethic. Nicom. p. 1143. v. 6. *περὶ τὰ αὐτὰ μὲν (ἡ σύνεσις) τῇ φρονήσει ἐστίν.*

